

» alias ad eos deferre vel delata per eos receptare, seu ad illa  
» vehendum navigia et operam eorum praestare quoquo modo  
» praesumant, sub similibus censuris et poenis et etiam nullitatis  
» contractuum, quos inirent, ac perditionis mercium, victualium  
» et bonorum delatorum, quae capientium illa fiant et applicentur  
» eisdem, similiter eo ipso incurrendis. In poenam insuper Vene-  
» torum aliorumque monitorum non parentium praedictorum, Vene-  
» netiarum ac omnium et singularum cathedralium etiam patriar-  
» chalium, metropolitanarum, et aliarum inferiorum ecclesiarum  
» et monasteriorum, prioratum, domorum et locorum religiosorum  
» et piorum quorumlibet abbatibus, prioribus, canonicis, mona-  
» chis etiam congregationis sanctae Justinae paduanae, Latera-  
» nensibus et sancti Salvatoris, necnon sancti Georgii in Alega-  
» nuncupatarum ac universis et singulis ordinibus fratrum praedi-  
» catorum, minorum, eremitarum sancti Augustini, carmelitarum  
» et servorum sanctae Mariae tam conventualium quam de obser-  
» vantia nuncupatorum, aliorumque quorumcumque ordinum et  
» religionum prioribus, ministris, custodibus, guardianis, et aliis  
» clericis saecularibus et regularibus quibuscumque nominibus  
» censeantur, in Venetiarum, Paduana, Veronensi, Vicentina, Cre-  
» monensi, Brixiasi, Tarvisina, Pergamensi et aliis civitatibus,  
» terris et locis praedictis, in quibus superioritatem quamlibet  
» exercent morantibus, districte praecipiendo mandamus, ut infra  
» sex dies post dictos primos viginti quatuor dies immediate se-  
» quentes exeant de civitatibus, terris et locis praedictis in quibus  
» degunt, ad loca ipsa minime reversuri donec dicti Veneti nostris  
» monitionibus et mandatis obtemperaverint et meruerint interdicti  
» praefati relaxationem obtinere. Et si quis de praedictis contrafe-  
» cerit, si episcopi et superiores interdicti, ingressus ecclesiae; si  
» vero inferiores, ab eisdem fuerint, excommunicationis sententiam  
» incurrant ipso facto, a qua absolvi non possint ab alio quam a  
» Romano pontifice, nisi in mortis articulo constituti. Et praeter  
» hujusmodi interdictum et excommunicationis sententiam episcopi